

hospes cum liberis virisque omnibus Aenea dimisso abiere festinantes; dixerunt se ad turrin quandam longo spatio remotam metu Scotorum fugere, qui fluxio maris refluxu decrescente noctu transire, pradarique soleant, neque secum Aeneam multis orantem precibus quoquo pacto adducere voluerunt, neque scæminarum quamquam, quamvis adolescentule & matronæ formosæ complures essent: nihil enim his mali facturos hostes credunt, qui stuprum inter mala non ducunt. Mansit ergo illic solus Aeneas cum duobus famulis, & uno itineris duce inter centum scæminas, quæ corona facta medium claudentes ignem, cannabumque mundantes, noctem insonnem ducebant, plurimæque cum interprete fabulabantur. Postquam autem multum noctis transferat, latrantibus canibus, & anseribus strepentibus, ingens clamor factus est, tumque omnes scæmine in diversum prolapse, dux quoque itineris diffugit, & quasi hostes adessent omnia tumultu completa. At Aeneas potior sententiâ visa est in cubiculo (id enim stabulum fuit) rei eventum expectare, ne si foras curreret ignarus itineris, cui primum obviasset, ei se pradam daret, nec mora, reverse mulieres cum interprete nihil mali esse nuntiant, atque amicos, non hostes venisse.

Seoven-  
burgenses.  
Fifbur-  
genfes.  
1013.

\* Princi-  
pem Fif-  
burgingi.  
1015.

Reges,  
Duces &  
Comites  
Northum-  
bria.  
Bernicij.

Ingulphus  
pag. 511. b  
Anno  
1056.

Fuerunt in hac regione popelli quidam Seovenburgenses, & Fisburgingi dicti, quorum locum designare in obscuritate tanta, iudicii non est mei. Nec definire an Dani vel Angli fuerint. Scribit vero Florentius Wigorniensis editus opera honoratissimi Dom. Guilielmi Howardi, cum comitia Oxenfordiæ haberentur, digniores & potentiores ministros ex Seovenburgensibus Sigefertum, & Morcarum clanculum sublato fuisse ab Edrico Streona, Edmundumque Clitonem contra voluntatem patris Alfritham Sigefrithi uxorem duxisse, & profectum ad Fisburgingos terram Sigefrithi invasisse, & illorum populum sibi subjugasse. Sed alii hæc disquirant.

Hæc provincia ab Osca Hengisti fratre, & filio ejus Iebusa in Saxonum potestatem redacta, primum suos Duces clientelari jure Cantii regibus obstrictos habuit. Inde cum regnum Berniciorum, quos Britanni Guir à Brindich, id est, quasi Montanos dicunt, constitutum esset, quod à Tesi ad Scoticum fretum pertigit, pars ejus optima fuit, paruitque Nordanhumborum regibus, qui cum suam periodum confecissent, quicquid ultra Tuedam erat, in Scoticum nomen cessit; hunc autem agrum Egbertus Orientalium Saxonum rex suo imperio per dedicationem adjecit. Alfredus postea Danis permisit, quos Athelstanus pauculos post annos exturbavit, Eilricum tamen Danum populus postea in regem extulit, quem Ealdredus rex statim expulit. Deinceps vero regium nomen in hac provincia desit, Comitæque vocabantur qui præfuerunt. E quibus hi ordine in historiis nostris memorantur, Osulfus, Oslacus, Edulphus, Waldeofus senior, Vchtredus, Adulphus, Alredus, Siwardus, Tostius, Edwinus, Morcarus, Osculphus, Siwardus ille vir fortissimus, qui ut in armis vixit, armatus etiam mori voluit. Comitatus autem ejus Eboracæ Tostio fratri Comitis Haroldi datus est; Northamptoniæ vero ac Huntingdon Comitatus cum cæteris terris suis inclyto Comiti Waldeofio filio & heredi suo sunt donati. Hæc Ingulphi verba subjeci, quod sunt qui negant hunc Huntingdoniæ Comitem fuisse Britannia.

Nunc subtexam quod in antiqua membrana hac de re in Bibliotheca Ioannis Stowæi honestissimi civis, & seduli civitatis Londinensis antiquarii legi. Copli factus Northumbriæ Comes dono Guilielmi Conquestoris expulit Osculphum, à quo tamen paucos post dies interfectus erat. Osculphus deinde lancea à latrone trajectus diem obiit. Tum Gospatricus emit Comitatum à Conquestore, à quo non multo post eo honore deturbatus, successorem habuit Waldeofum Siwardi-filium. Huic capite truncato subrogatus est Walcherus Episcopus Dunelmensis, qui, uti Robertus Comin successor, populari tumultu occubuit. Robertus Mowbray postea eundem titulum consequutus est, quem sua ipsius scelerata perfidia statim perdidit. Deinde Stephanus Rex Henricum filium Davidis Regis Scotiæ, ut in Dunelmensi Polychronico legitur, Northumbriæ Comitem instituit, cujus filius etiam Guilielmus, qui postea Rex Scotorum se scripsit, Guilielmum de Warrenna Comitem Northumbriæ, ejus enim mater è familia fuit Comitum Warrenna, ut constat ex libro Monasterii de Brinkburn. Post paucos annos Rich. Primus hunc Comitatum Hugoni de Puteaco Episcopo Dunelmensi dum viveret, pretio addixit. Sed cum Rex ille ab imperatore in reditu è terra sancta incarceraretur, & Hugo ad ejus liberationem tantum 2000 libras argenti contulisset, quas Rex minus gratanter accepit, eo quod censeretur modicum præstitisse, quem sub obtentu liberationis ejus, immanes copias didicerat adunasse, ille officio Comitatus privatus est.

Lib. Du-  
nelm.

Hodie vero Perciorum familia illo honore gaudet, quæ à Brabantia Comitibus oriunda Percii cognomen cum Percy possessionibus accepit, ex quo Ioscelinus filius junior Godfredi Ducis Brabantia vera proles Caroli Magni per Gerbergam filiam Caroli fratris minoris Lotharii Regis Francorum postremi ex stirpe Carolea, Agnetem Guilielmi Percy filiam, & ex asse hæredem in uxorem duxerat, cujus Guilielmi proavus Guilielmus Percy Angliam cum Guilielmo victore ingressus, dono ab illo accepit latifundia in Tat-caster, Linton, Normanby, & aliis locis. Convenit vero inter hæc Agnetem & Ioscelinum, ut ille Perciorum nomen assumeret, & sibi sua Brabantia antiqua insignia retineret, videlicet leonem cæruleum (quem Brabanti postea mutarunt) in clypeo aureo. Primus ex hac familia Northumbriæ Comes fuit Henricus Percy ex Maria filia Henrici Comitis Lancastriæ natus, qui antiqua nobilitate & bellica gloria clarus ab Edwardo Tertio amplis prædiis in Scotia muneratus, ab uxore secunda Matilde Lucy, licet ex ea nullam prolem susceperit, stipulatione facta ut Insignia Perciorum gestaret, admodum locupletatus, à Richardo Secundo Comitis Northumbriæ fuit honore exornatus. Cui tamen optime merito malam reposuit gratiam, rebus enim afflictis deseruit, & Henrico Quarto viam ad regnum præmunivit ab eo Insula Mania donatus, contra quem mox tacito conscientia verberare exulceratus ob Richard. injuste sua opera abdicatum, & exacerbatus ob certum & verum regni hæredem Edmundum de Mortuo-mari Comitem Marchiæ sibi affinem

Percii è  
stirpe Ca-  
roli Ma-  
gnæ.

Vide pag.  
417.